



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Decretales Episcoporum administrationem temperarunt, non  
abstulerunt. Cui locus esst juxta juris antiqui regulas, cogente necessitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

cum de fidei professione à Papa edenda ca-  
veret, non solum octo Concilia Oecume-  
nica ab illo conservanda decernit, sed etiam  
Lateranense, Lugdunense, & Viennense.  
Quare seculo Caroli VI. Conciliorum ge-  
neralium nomine, Ecclesia Gallicana non  
solum vetera, sed etiam recentiora illa in-  
telligebat. Enimvero in Gallia, quod ad  
disciplinam attinet, decretalium constitui-  
tis locum damus, cum bona Romanorum  
Pontificum venia, quæ nostris rebus & uti-  
litati publicæ accommodatae sunt, id est,  
omnibus ferè, paucissimis exceptis.

V I. Sanè dissimulandum non est, eam  
quæ jure divino Episcopis quaesita est Ec-  
clesiæ administrationem, nullis decretalibus  
ablatam fuisse; quamvis potestatis illius  
exercenda modus variis constitutionibus  
variè pro temporum ratione prescriptus  
fuerit. Itaque si ea tempora incident ut re-  
genda Ecclesiæ necessitas Episcopos à re-  
gulis recentioribus discedere cogat, nihil  
verat quo minus jus naturale & divinum,  
omissis formulis quæ jure novo prescripta  
sunt, locum habeat. Exempli causa; si fe-  
dis Romanæ vacatio per multos annos pro-  
traheretur, si hostium armis obsessa tene-  
rentur itinera, ita ut securè Romanus Pon-  
tifex adiri non posset, aut si qui alij similes  
aut graviores casus incidenter, jure divino  
aut antiquo illo jure ecclesiastico admini-  
stranda esset Ecclesia.

C A P V T VII.

Synopsis.

I. Confutatur communis opinio, qua docet præci-  
pium Libertatum regulam hanc esse, ut Concilium  
Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur.  
Quamvis hac sit Schola Gallicana sententia, non est  
una ex Libertatibus Gallicani. In foro perinde est,  
si Summus Pontifex aquo vel superiori jure cum Con-  
ciliis utatur. Vbi id tantum expeditur, an nova res-  
cripta noceant Ecclesia Gallicana.

II. Canonum executionem ex pollicitatione exi-  
gimus. Pontifices Romani canones non posse infringi  
docebant facili & scriptis; ut Innocentius I. in causa  
Chrysostomi.

III. Zedimus in causa Arelatensis Episcopi, &  
in epistola generali. Et Bonifacius I.

IV. Sed præcipue Leo, in reprobatione canonis  
xxv i i. Synodi Chalcedonensis. Hujus questionis,  
qua illustris est, status constituitur. Secundus digni-  
tatis gradus delatus Episcopis CP. à secunda synodo.  
Quo usi sunt in Oriente, ut probatur variis testimoniis,  
e C. Th. & synoda Chalced. Solvitur objectio  
pertinax à rescripto Theodosij, de Flaviano.

V. Nec administratio nec ordinatio Diœceseon  
Asiana & Ponticatributa est hoc canone; sed usu, in  
quibusdam Ecclesiis. Canon xxv i i. expensu, &  
sententia vii eruditis circa ejus explicationem, quare-

fellitur; & verus sensus illius canonis exponitur, re-  
stituta interpunctione.

V I. Leo approbare noluit canonem xxv i i. quod  
contrarius esset canonibus Nicenis. Due regule elici-  
ta ex epistolis Leonis. Prima, nullos esse canones ad-  
verso Nicene Synodo. Secunda, Summum Pontifi-  
cem esse custodem canonum.

V II. Leo decernit irritum hunc canonem, eo no-  
mine, quod sit contrarius Nicene Synodo.

I. S OLET à plerisque pragmaticis hoc  
ferè præcipuum constituti Libertatis Gallicanæ theorema, Concilium Oecu-  
menicum superius esse Summo Pontifice. unde sequatur nihil à sedis apostolicæ Præ-  
sulibus tentari posse quod synodorum gene-  
ralium definitionibus aduersetur. Invidio-  
sam quæstionem fecit nimium partium stu-  
dium. quod si abesset, vexatissima illa con-  
tentio facilè componi posse videretur. Scio  
quid Theologi Parisienses constanter pro-  
fessi fuerint in Concilio Constantiensi, Ger-  
sonis auspiciis, quod omnes Ecclesiæ Patres  
tunc amplexi sunt, in unum conspirantibus  
omnium Episcoporum & Nationum votis.  
Scio quid Basileensis Synodus, quæ, pau-  
cis exceptis, omnes ferè Occidentis Epi-  
scopos continebat, de hac re decreverit,  
quidque à Gallicanæ Ecclesiæ Theologis  
passim doceatur. Attamen si cum bona Ma-  
gistrorum venia, id quod sentio liberè pro-  
fiteri liceat, existimo Libertates Ecclesiæ  
Gallicanæ hoc axiome non omnino niti.  
Qui Romani Pontificis odium in has liber-  
tates concitant, id præcipue urgent, eas  
alia ratione constare non posse, quam apo-  
stolicæ sedis dignitate in eo maximè immi-  
nuta, quod Pontifex Concilij Generalis  
auctoritati subjiciatur. Attamen hæc sen-  
tentia, et si in Schola Parisiensi & ceteris  
hujus regni Academiis certissima habeatur,  
in foro apud nos non disceptatur; qui Li-  
bertates perinde tuemur, si de Concilij Ge-  
neralis novis Decretis, ac si de Romani  
Pontificis Constitutionibus agatur. Quin-  
etiam receptos mores & consuetudines Ec-  
clesiæ Gallicanæ, nostro usui commodas,  
adeo retinemus, ut eti canone Concilij  
Generalis destituamur, quo illæ firmatae  
sint, tamen ab iis nobis discedendum esse  
non censemus. Quare non est quod hære-  
amus in ea regula, quæ Romanis stomachum movere, & quæ rebus nostris non pro-  
spicit ut par est. Fruatur Summus Pontifex  
aut æquo jure cum Conciliis Generalibus,  
aut superiori. Illud unum in foro expende-  
tur, an nova constitutio vel novum rescrip-  
tum rebus Gallicanis consulat, aut no-  
ceat. Si receptos canones vel receptos mo-  
res infringat aliquo pacto, ejus ratio non  
T ij